

IOANNES STVMPFFIUS HELVETIORVM HISTORICVS.



Ioannes apud Heluetios natus, & in bonis literis educatus est. Cum is prima rudimenta didicisset, sese studiorum amore Tigurum contulit, atque linguarum cognitioni, & sacræ lectioni magna diligentia incubuit. In primis uero Historias evoluuit, atque earum usum sibi familiarissimum reddidit. Accedebat & uitæ innocentia & rara eloquentia. Itaque cum talis esset, minister Ecclesiæ in agro Tigurino constituitur. eam functionem is dextre expediuit, & cunctis bonis gratus extitit. Cum quoque talis esset, in Historijs plurimum laborauit, & Concilium uniuersale Constantiense Germanico sermone descripsit. Postea quoque Heluetiæ totius exactam Historiam ex uarijs authoribus, Chronicis, & annalibus magno labore collegit, tabulas locorum exquisitissime adiecit, atque magna laude Tiguri tomis duobus anno salutis humanæ 1551 ædidit. quo quidem opere patriam suam plurimum exornauit, atque apud omnes magnum sibi nomen comparuit. Con. Gess.